

„mit etlichem Kriegsvolck, vnd selbst von ihnen gelernet den Römi-
 „schen Göttern Tempel vnd Bildnisse in ihrem Lande zu machen,
 „vnd aufzurichten.“ Sc. Neque hoc loco omittendum, Olafum
 Trygguinum Norwegiae Regem in oratione superstite, quam ad po-
 pulum, pro religione Christiana, in regno suo, ad illud tempus ido-
 lorum cultui mancipato, plantanda, habuit, euidenter demonstrasse
 paganam superstitionem maxima in septentrione tempore nati Chri-
 sti incrementa cepisse. videatur Thormodus Torfaeus in serie dyna-
 starum et Regum Daniae lib. II. cap. II. p. 105. Vir autem celeberrimus
 Io. Möllerus in Isag. ad Hist. Chers. Cimbr. P. II. cap. I. p. 9. „non
 „dissimulabo, inquit, erroneam mihi semper visam esse quorundam
 „nostratum sententiam, qui Graecorum ac Romanorum Deos,
 „septentrioni olim pagano, uti credo, plane ignotos, a Cimbris,
 „Frisiis atque Saxonibus Chersonesi nostrae cultos fuisse sibi persua-
 „dent.“ Cui sententiae subscribere per omnia non possum. Licet enim
 maiores nostros aevo quam maxime remoto Romana idola non sem-
 per coluisse elargiar; tempore tamen natiuitatis Christi Cimbros
 Romanam idololatriam cum sua coniunxisse, scriptores, quorum
 mentionem intulimus, declarant. Tuetur quidem p. II. esse con-
 iecturam dumtaxat Crantzianam, Deos Romanorum in Saxoniam
 esse inuectos; sed hoc loco rem acu tangere non videtur, quum
 Crantzius aliique tantummodo dubitandum esse tradant, utrum a
 Romanis in Cimbriam haec idololatria sit illata, an vero Roma
 ipsi eandem accersuerint, ut ex ipsis eorum verbis patebit. Ne-
 que obstat obiectio, incertum esse, quid per Saxoniam intelliga-
 tur, utrum Westphalia tantum, an Saxonia Transalbiana, scri-
 ptoribus hanc mutationem sacrorum apud Saxones euenisse traden-
 sibus. Saeculo enim primo huic distinctioni nondum erat locus, quo
 Saxones in sola Cimbria habitabant. Neque vir doctissimus Möl-
 lerus, refragantibus tot clarissimis scriptorum fide dignissimorum
 testimoniis, probare poterit, Romanorum Deos maioribus no-
 stris plane non esse honoratos, quum contrarium aperte loquan-
 tur tot templa Ioui, aliisque diis Romanis excitata. Quod, si verbo-
 sus esse vellem, plurimis documentis ex Petri Saxii MStis, et aliun-
 de petitis firmare possem. Id solum paucis moneo, hoc satis pa-
 tere ex indiculo illo superstitem in Saxovico populo idololatricorum